

LUCIANO MIORI

## FATA ROMANA

*Tres Romanae historiae casus proferuntur, qui misericordiam movent et tragico quodam horrore redundant: Hasdrubalis et Scipionis angores in excidio Cartaginis, C. Gracchi aestuans animus inter graves curas et suspiciones, Getae Caesaris nex a fratre patrata. In Hasdrubale et Scipione describendis imprimis adhibui Polybii historias, in C. Gracchi casibus enarrandis Gracchorum vitas a Plutarcho conscriptas, in Getae Caesaris morte referenda Scriptores Historiae Augustae. Aliquot res minoris momenti libere commentus sum, Horatii sententiam modice secutus: Pictoribus atque poetis - quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

### I

#### EXCIDIIUM KARTHAGINIS

Conspicuum celsa templum radiabat in arce  
desuper informes spectans furvasque ruinas  
urbis quae quondam imperium regina superbum  
per vastum mare in extremas extenderat oras.  
Sparsim diffundunt rutilas incendia nubes  
pulveris et cinerum cumulos, quibus omnia late  
obscurantur: eunt umbris similes redeuntque  
armati maculas per densas sanguinis atri  
et trepidi currunt, dum iam moribunda supremos  
corpora dant gemitus et caeca nocte teguntur.  
Agmine procedit captorum turba dolenti  
vulneribus consumpta fameque et squalida visu  
incusatque hominesque deosque et tristia fata,  
praecipiens iam servitii mala multa futuri.

At moritura manus quae collem detinet armis  
suspensae fluitans extremo in limine vitae  
somnia se reputat confusa mente videre  
horrida, nec metuit sed amara contremit ira.  
Ecce autem subito nullis comitantibus exit  
e media defensorum dux ipse caterva  
Hasdrubal et ramis supplex velatus olivae  
conloquium poscit cum consule. Viderat illum  
iam Cornelius et iussit prodire severo  
accipiens vultu lacrimantem. «Parce,» gementi  
voce ait ante pedes iaciens se consulis exspes  
Poenus «parce, nihil poteris cui tu dare maius  
supplicium quam quod Fors struxit. Gloria parta est  
non peritura tibi. Cecidit Carthaginis omne  
robur. Sit satis hoc». Tum consul: «Reddere vitae  
victum hostem fractumque malis haud iure recusem:  
vivas et vivant coniunx natique; nec ulla  
civium erit caedes; nam captis parcere certum est.  
At quae deseruit nos castraque perfida turba  
hostibus auxilium praestans non effugiet quam  
mortem commeruit». Vultum deiecit et imo  
pectore compressit luctum trepidumque furorem  
victus dux gratesque simul submissus agebat,  
cum quidam ex illis qui iam sperare salutem  
desierant, procurrit et: «O mirabile» clamat  
«consilium! Non tu declarabas decus esse  
hoc summum si quis patriae consumptus in altis  
ignibus e vita discedat? Pro pudor! aequo  
nunc animo loqueris Romano cum duce, sorte  
excipiens te communi». Tum protinus uxor  
Hasdrubalis prodit lanians pectusque genasque  
et procul: «Haud» ait «ignavas me, pessime, voces  
audieris iactare precesque offundere duris  
auribus invisi ductoris, qui sibi quaerit  
luctibus e nostris urbisque e funere laudem  
maiolem. Quae tot claris insigne sepulcrum  
terra viris dedit, haec etiam me condet et una  
natos, quos genui non ut paterentur acerba  
iussa vel ornarent Romanos praeda triumphos».  
Adspiciens circumstantes tum consul: «Habetis

exemplum grave quam valeat Fortuna movere  
 res hominum. Qui terribilis modo cuncta regebat  
 crudeli imperio valida lateque potenti  
 in patria, qui iura deum spernebat et amens  
 captiva infandis laniabat corpora poenis,  
 debita nunc scelerum formidat praemia seque  
 ludibrium videt esse suis. O nescia fati  
 pectora, quantis, heu, tenebris traducitis aevum!».

Adsensum comites vicinaque turba fremebat,  
 attollens oculos, cum summo in vertice collis  
 Hasdrubal et templi foribus conspexit in ipsis  
 surgere iamque aedis tectum perlambere flammis.  
 Morti sacra manus collectis undique lignis  
 struxerat hunc furibunda rogam sibi, posset ut inde  
 hostibus insultans inimicam linquere vitam.  
 En autem resonat superans vox nota clamores  
 omnes: «Huc oculos verte et quid femina possit  
 observa, o coniunx, tali si nomine dignum  
 te reputare decet. Vos autem, numina dira  
 sanguine et humano numquam satiata dolore,  
 accipite hanc geminam prolem meque insuper ipsam  
 matrem in hos, quibus extremum Carthaginis ardet  
 fatum, ignes!» Fumo et longe saliente favilla  
 subsiluit rogam. Adstabat vepallidus aestu  
 horrorisque iraeque simul tacitique pudoris  
 Poenus. Quam vellet rutilanti vortice clausus  
 arcis flagrantis communi occumbere morti!  
 Obstat amor lucis, quamquam spes nulla futuri est.  
 At quid nunc faciat? Confusis sensibus usque  
 cuncta audit spectatque et tamquam aliena volutat.  
 Haud ullus comparebat defensor in arce:  
 libera mors omnes et vividus hauserat ignis.  
 Romanos ascendentes iam sistere cernit  
 signa in arce: stupet se nullo angore moveri.

Interea varios volitare torpidus audit  
 sermones circa, confuso murmure tamquam  
 in silvis strepitum, lenis quem suscitatur aura.  
 «Tandem nunc pacem et requiem gustare licebit»  
 Furius aiebat sedata voce tribunus  
 adspiciens modo Septimium primum inter amicos,

tecta eversa modo et fumum Carthagini altae.  
 «Belua victa iacet quae tanta pericula nobis  
 struxit». Sed tacita defixus mente silebat  
 alter singultum retinens; nam pallida turba  
 bello rapta oculis obversabatur et intus  
 haerebant animo blandi carique sodales  
 quos invisa quies et nox aeterna tegebat.  
 «Cur tam tristis?» ait tum Furius «Imminet acris  
 ipsa atque exiguos vitae mox eripit annos  
 mors. Cras non erimus. Fatis cedamus et atras  
 vina epulaeque abigant curas durosque labores».  
 Septimius contra: «Cum mens demersa tenebris  
 indulgere suo tantum vult aegra dolori,  
 non convivia, non comitum solacia prosunt;  
 hoc solum cupio, reddi patriaeque meisque».

At quis hos graviter versus nunc dicit Homeri?  
 «Tempus erit quo sacra ruet penitusque peribit  
 Troia et cum Priamo Priami populus simul omnis».  
 Haec consul recitat cunctis mirantibus atque  
 conspicitur lacrimans. «O, quinam te novus angit»  
 Furius inquit tunc «maeror, quo laeta triumphum  
 decrevit Fortuna die tibi?» Pluraque comis  
 adiecturus erat, cum suspirans ait ille:  
 «Quanta sub his, heu, ruderibus prostrata silescit  
 gloria! quanta ex his exaestuat unda doloris  
 fumosis flammis! Hic res manet exitus omnes  
 humanas: quas tempus opes eduxit in altum,  
 has labefactatas sepelit mutabile tempus.  
 Quascumque in partes magni procedimus orbis,  
 obterimus pedibus veterum vestigia fracta  
 regnorum extinctasque agitamus segniter umbras.  
 Sic – utinam fallar – quae nunc redimita tropaeis  
 Roma caput tollit domitis venerabile terris,  
 haec metuo ne perpetuo concussa tumultu  
 rerum et obscure saeculis labentibus olim  
 interitum patiatur atrox diramque ruinam».  
 Dixit et attonitus terror penetravit in omnes,  
 expses figit humo dum victus lumina Poenus.

## II

## C. GRACCHUS

«Desine iam, quaeso: fixum est fixumque manebit  
mendax devitare forum campumque dolosum.  
Angulus hic densa contactus fronde paternis  
in tectis, qui iam puerum me saepe recepit  
ludentem, posthac meditantem arcana videbit  
fata hominum veterumque volumina docta legentem».  
Haec Gracchus. Cui vix reprimens tum Fulvius aestum  
solicitatae mentis: «Frustra speravimus ergo  
ultorem fore te populi? Circumspice: nullum  
delictum invenies miseram quod non premat urbem.  
Hic annis gravis atque in bellis plurima passus  
vulnera inops vitam ducit morbisque laborat;  
ille dolenter abit patrio spoliatus agello  
et mortem sibi securam deperditus optat;  
debilis hic fractusque malis et faenore mersus  
crudeles dominorum iras et verbera perfert.  
Quid quaeris sensus quod inertes acrius urat?»  
Fannius hic interfatur: «Si te neque plebis  
commovet indignus fletus neque saeva potentum  
durities, at te saltem taeterrima caedes  
commoneat fratris ne clarum nomen avorum  
commacules. Quanto excrucior maerore recordans  
a gradibus summae Iovis aedis turpiter illum  
ad Tiberim tractum exanimem strepitante caterva  
quam Nasica metu diroque inflaverat auro.  
Ah iuvenis nimium fidens spernensque pericla,  
te spumans rapido convolvit gurgite flumen».  
«O, cur haec memoras?» inquit tum Gracchus «inhaerent  
ipsa satis animo turbantque infensa quietem;  
et plebem miseror mala tam funesta ferentem  
et memini fratris crudeli caede perempti.  
Sed quis e tanta populi defendere turba  
te, Tiberi, est ausus vel protexit fugientem  
hospitio tuto? Florentes vulgus adorat,  
proculcat miseros. Barathrum caenumque reliqui

quo demersa hominum scelerosa ignavia torpet,  
 ut vitae pretium carpam de fonte perenni  
 quem natura mihi simul et sapientia fundent».

Pallidiore auro sol occiduus procul alta  
 tecta vaporabat, caros cum maestus amicos  
 vidit abire domum vario sermone dolentes  
 se tam mutatum veterem invenisse sodalem.  
 Ipse vocans quem noscebat fidissimum inter  
 vernas: «I pro pere uxori meae Philocrates», inquit  
 «dic matri meae ne me quaerant; retinet nam  
 inspicienda mihi soli reticendaque cura».

Haec fatus parvum tacite conclave petivit  
 tempus ubi vacuum transmittere saepe solebat  
 multa legens vel perscribens quae posceret usus.  
 At neque eum sapientia nunc veterum neque laeta  
 carmina solantur; nam mens aegrotata vacillat,  
 cum pelagus spectat saevum vastumque malorum  
 instabilis quibus et multos concussa per annos  
 dissolvi penitus concordia prisca videtur.  
 «O suscepta meo – secum submurmurat – ingens  
 spes fratri, quam mox cecidisti! quam breve lumen  
 adfulsit populo libertatis! Periere,  
 heu, tecum, Tiberi, tua dulcia somnia. Plebi  
 nulla salus superest: furor impius omnia iura  
 subvertet caede et civili sanguine gaudens.  
 At tu qui volitas per Averni squalida regna  
 umbra dolens, ignosce, precor, si non tua servo  
 exempla adsidue; nam molles arida flores  
 Romana urit humus surgentes aethera in altum.  
 O tristes labente die mortalibus horas  
 cum languens animus longos trepidosque labores  
 effluxisse videt vana in ludibria vitae!»  
 Exiguus tandem illius domuit sopor artus.

At mox ante caput lassi somnoque iacentis  
 adstitit ambigue pallentis fratris imago  
 atque oculos in eum figens vultumque severum,  
 haec tantum: «Cur sic dubitas? Mea fata sequeris  
 et vitam populi pro libertate profundes».  
 Subsiliuit Caius madidus sudore gravemque  
 singultum tenuit stupuitque albescere sensim

noctem conclavis diffuso lumine lunae.  
Cuncta videt circum placida composita quiete;  
sed resonare suo sentit in pectore caeco  
praedicta haud dubiis verbis oblata, perinde  
ac si subvertant mentem sibi funditus imam.  
Quod reliquum est noctis vigilans agit atque revolvit  
praeteritos casus fratrisque novissima iussa.

Et iam prima vagas extremo in limine caeli  
lumine tingebat nubes Aurora rubenti,  
cum magis atque magis clamores surgere magnos  
confusosque audit multis e partibus urbis.  
Egressus subito trepidantes undique servos  
conspicit e mediaque simul prodire corona  
libertum, Sempronia quem modo miserat ipsi.  
«Gens» ait hic «perculsa gravi est Cornelia luctu  
et populus simul: exanimis iacet Aemilianus.  
Haec per me tibi maesta soror tua nuntia mittit».

Protinus ad magnas se confert anxius aedes  
Corneli Caius trepido clamore sonantes  
servorum et procerum; cunctos altus tenet horror.  
Demisitque caput turbata et mente revolvit  
praeteritos casus odiisque ardentia verba.  
«Numquam» sic secum meditatur «foverat ille  
me partesque meas. Tamen o, nisi iure preemptum  
dixisset fratrem, nisi scirem nequiter illum  
et famam improbasse meam moresque sororis,  
nunc lacrimis populi mea vox accederet atque  
tot tantosque viri memoraret maesta triumphos.  
Illa sed impia verba recordans hunc ego casum  
tantum animi ambiguus stupeo». Tunc inruit acer  
Fulvius exclamans: «Cur cessas? turba malignis  
vocibus infensisque auroque inducta potentum  
concessisse negat naturae legibus aequis  
Aemilianum et te caedis taetricque veneni  
incusat matremque tuam pariterque sororem».

Sic ait ille ardens; dubio sed palluit ore  
in mentem Caius revocans Sempronia quantis  
opprobriis mores cumulasset dura mariti.  
Quin votis saepe audierat dementibus illam  
letum exoptavisse viri; sed credere possit

adcelerasse etiam tam diro crimine fata?  
 Haud potis est, censet: scelus hoc mens sana recusat.  
 Attonitus circumspicit et matrem prope cernit  
 contracto rigidam vultu trepidamque tuentem,  
 pectore tamquam agitet curas et comprimat imo  
 ingentes. Adstat iuxta soror atque minantes  
 huc illuc volvens oculos: «Quis crederet» inquit  
 hoc fore? Summus honor cum te summumque maneret  
 imperium, fortuna haec omnia perculit. O di,  
 num vos haec decrevistis? At quid loquor amens?  
 Res haud respiciunt humanas numina. Sed tu  
 cur me sic tacitus, frater, durusque tueris?  
 quae tibi mens?» Silet ille diu conterritus; inde  
 suspirat firmoque obtutu denique fatur:  
 «Nobilium fraudes cognosco et mobile vulgi  
 haud semel ingenium perspexi. Non mihi spero  
 gratum animum populi; sed cum turbata procellis  
 aequora consurgunt, tranquillam non ego vitam  
 ducam nec patriam patiar ruere atque perire  
 civiles motus spectans e litore tuto.  
 Fata vocant: adsum, nec mortem deprecor ipsam».

### III

#### GETAE CAESARIS MORS

Immensam Boreas validis converberat urbem  
 flatibus attollens condensì pulveris atras  
 ad caelum nebulas; vehementius at ferit ampli  
 moles marmoreas et culmina celsa Palati.  
 Transvolitant aedes quassantque aulaea decora  
 aurae et summissos captant variosque susurros  
 ambiguaeque inter terrorem et gaudia voces.  
 Nam quod consilium vel quae nunc spes inimicos  
 conloquio fratres coniungit? Qui modo saepti  
 militibus lectis divisas acriter aulae  
 partes servabant metuentes undique tectas



insidias, en cur iterant promissa fidemque  
perpetuam iurant? Sed pocula plena Falerni  
ingustata manent mensa in nitida neque cessant  
cuncta oculi lustrare et eo se volvere salvum  
qua valvae reditum dant in conclavia tuta.  
Et tamen offensas tenuabat uterque priores  
fraudesque occultas purgabat callidus atque  
communes firmabat opes communibus armis.

Intentus Geta praebebat iuvenaliter aures  
propositis fratris maioris; cum tamen ultra  
ius nimium saevire illum neque parcere sensit  
ulli, quem tenuis modo tangeret umbra latentis  
invidiae, blande oravit ne fumera tanta  
inferret patriae. Tumido tum pectore: «Si quis»  
inquit Septimius frontem simul Antoninus  
corrugans «tardus sibi consulit, haud queat aequè  
incusare alium praeter se» multaque promptus  
perscripta in tabulis inimicaque nomina monstrat.  
At Geta tunc: «An non praesentis quanta recurset  
hoc e sanguine nos dein submersura odiorum  
tempestas?» «Ego nil detrecto, dummodo servem  
imperium. Quid enim formidas? Nonne Severus  
haec exempla dedit nobis pater? Omne periculum  
ferro avertendum est: dominandi haec una facultas».  
«Nulli qui parcis» graviter tunc alter «et ipsum  
me quoque non dubites leto dare». Pallidus ira  
surrexit tum Septimius vacuumque pererrans  
exedram intentis oculis trepidabat, adactum  
tamquam vidisset gladium; sed mox studiose  
composuit vultum. «Cras haec tractabimus» inquit  
«commodius. Nunc me ad fabros descendere oportet  
atriolumque videre novum». Dextram dedit ultro  
subridensque abiit. Frater stupet inscius atque  
egreditur lente. Cautis at passibus ecce  
Eulogius prodit libertus: «Cur remanes hic,  
Caesar? quin potius te fers ad castra? Fidelis  
miles, at hic locus haud tutus. Ne quis sciat autem  
me dixisse». «Quid hoc?» Sed iam discesserat ille.

Ad comites Geta tum redit excubiasque revisit,  
nec quicquam apparet mutatum; non tamen imo

angorem depellere quit de corde neque aulae  
 nescit perfidiam pretio vendentis amicos.  
 Quid credat? quo proripiat se? Nota resultant  
 vocibus ignotis conclavia totaque vibrant  
 intus imaginibus levibusque Palatia larvis.  
 Cur nemo occurrit? Servi fugitant quasi vitent  
 leto devotum caput. Immotus silet ipse  
 attonitusque diu; nam mens fluitat revolutans  
 praeteritos casus pendetque incerta futuri.  
 At dum sic dubitat, vox blanda eius ferit aures:  
 «Hac, domine, hac, quaeso: te vult Augusta» videtque  
 ancillam furtim nutantem. Protinus ergo  
 qua ducit sequitur. Maesto suspiria fundens  
 adstabat mater de pectore; terque quaterque  
 vix lacrimas cohibens venientem amplexa: «Tuentur»  
 inquit «te superi. Quantum timui tibi, nate,  
 cum fama est adlata trucem vultuque minaci  
 discessisse a te nuper fratrem! Faciant di  
 hic meus ut vanus fuerit timor!» Ille trementis  
 obtutum vitans et rerum turbine victus  
 haec fatur: «Ne fata putes te posse querellis  
 flectere vel precibus: cedendum est. Ebrius urget  
 nos furor et spargens scelerum mala semina saevum  
 exitium parat. O miserum genus, improba semper  
 arma movens, nostra ut gaudentes caede nepotes  
 dicant nos merito tandem mucrone peremptos!  
 Sed tu desine flere» «O, quo» tunc illa «rapit te  
 mentis turbida vis? Age, nate, hinc aufuge. Carus  
 es populo. miles pro te pugnabit. Amicos  
 invenies qui te defendent. Indue vestem  
 servilem. Quis te cognoscet?» Tristis at ille:  
 «O mater, spes nulla animum iam sustinet aegrum.  
 Haud iuvat infestam porro producere vitam  
 iamque libens tenebras et Ditis regna saluto.  
 O vocem patris, moriens qui: "Ego omnia, dixit,  
 paene fui, sed nihil nunc prodest." «Mitte querellas:  
 tempus abit velox» instat tum Iulia. Sed iam  
 destrictum ruit intendens sicarius ensem  
 exclamatque: «Dolos tandem fraudesque relinques:  
 praemia fers aliis quae improvidus ipse parasti».

Exanimata metu deiectum vulnere natum  
 non vidit mater surdasque evanuit inter  
 umbras conclavis gemitus labentis ab ore  
 ultimus. Accurrunt ancillae iamque ululatu  
 femineo resonant aedes luctuque reclusae.

Ut verum genetrix animum sublata recepit  
 in multoque Getam porrectum sanguine vidit  
 confectamque necem, superos furibunda vocabat  
 infernosque deos: «Huc tela impellite vestra,  
 o quicumque plagas caeli vel Tartara nigra  
 di regitis! Tantumne scelus patiemini iustas  
 poenas effugere? O clades, o fulmina dira  
 fatorum! Tu qui mihi vitae lumen et idem  
 portus eras, curas quo pectoris aegra ferebam,  
 nunc caecos figis oculos in inane neque audis  
 matris verba tuae. Sed si non interit omnis  
 extinctis sensus, vindictae fama peractae  
 mox ad te veniet. Sed quem nunc execror? Eheu,  
 ipsa illum genui. Potuine ego gignere tantam  
 perniciem? Reserate fores populumque vocate  
 et facinus monstrate piumque accendite bellum!»  
 Haec Augusta furens et inertia corda movebat,  
 cum iam Septimius procurrat concitus aestu  
 irae et vorticibus iactatus mentis iniquae  
 vixque sui compos. Visus circumtulit atque  
 «Cur» ait «hic luctus? cur clamor? Nonne malorum  
 fas est insidias praevertere?» «Filius» inquit  
 Iulia «tu mihi? tu frater fratri?» Sed acerbus  
 ille: «Cupisne novas ad clades pellere cives?  
 visne alio aspergi me sanguine? Iam satis esto  
 et caveas tibi». «Nihil caveo. Scelera impia comple:  
 en adsum; propera. Vitam lucemque perosam  
 obtrunca». Subito ut vanescit rarus in auras  
 interdum effusa violenter grandine nimbus,  
 sic illi rabies tumido tunc decidit omnis  
 et modo respiciens matrem, rigidum modo vultum  
 fratris: «Quo» dixit «dominandi insana cupido  
 me traxit? Quid enim? Princeps en unicus adsto;  
 audax propositum peractum est; omnia iura  
 in me sunt. Sed quid profeci? Quassa vacillat

mens, cum te, Geta, conspicio, cum livida miror  
 ora tua atque oculos, gelida formidine sensus  
 qui stringunt agitantque meos taetroque furore  
 subvertunt. O, cur cita mors non perculit ambos  
 signa reportantes in saevos nostra Britannos?  
 Nunc odiis premor infensis populi neque cerno  
 effugium infelix. At tu saltem mihi, frater,  
 quem dum spirabo memori corde usque tenebo,  
 parce, precor! nam tollet idem mox me quoque fatum  
 quod te corripuit iuvenali in limine vitae».

Talia fundebat dicta et dabat oscula demens  
 exanimo fletuque genas vestemque rigabat.  
 Augustam mutus tremefactam detinet horror.  
 Seditioe viae strepituque procul resonabant.

RIASSUNTO – *L'autore presenta in esametri latini tre episodi di storia romana relativi alla distruzione di Cartagine, a Caio Gracco e alla morte dell'imperatore Geta.*

ZUSAMMENFASSUNG – *Der Autor behandelt in lateinischen Hexametern drei Episoden der römischen Geschichte, welche sich auf die Zerstörung Karthagos, auf Caius Gracchus und auf den Tod des Kaisers Geta beziehen.*

SUMMARY – *The author exposes in Latin hexameters three episodes of Roman history concerning the ruin of Carthage, Caius Gracchus and the death of the emperor Geta.*

---

Indirizzo dell'autore: prof. Luciano Miori - Via Firmian, 2  
 38068 Rovereto - Trento (Italy)

---